

ETA PHIL.
et Tomus.
part.:



Nf. 27.



29²⁹

L. D. B. V.

DISPUTATIONEM MORALEM

De

LIBERO AR-
BITRIO HO-
MINIS,

AUSPICE DEO

Et

Consensu

Amplissimi Ordinis Philosophici

In Illustri ad Albim Academia

placidæ Philosophantium συζητησεῖς sistit

P R Æ S E S

M. JOHANNES Bettebeil/

Palæo-Got. Thur.

ac.

RESPONDENTE

CHRISTIANO MARTINO Gorgenfrey/

Seebac. Thur.

Ad diem 20. Jul. In Audit. Min.

horis antemerid.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

N^o. 58

an 28



DISPUTATIONEM MORALIAM

LIBER O AR-

BITRIO HO-

MINI

AUSPICE DEO

Consensu

Audientissimi Ordinis Philosophici

In Illustri ad Almam Academiam

placida Philosophandi de Spectabilibus

P R A E S E

M. JOHANNES RUTENBERGII

Praeceptoris

RESPONDENTE

CHRISTIANO MARTINO GÖRGENSEN

Secundae Tur.

Ad hanc Tur. in Al. Tur.

non accendit.

WITTEBERG

Typis Christiani Schröderi, Acad. Typ.

1778





Σὺν Θεῷ.

PROOEMIUM.



Verum est, & negari adeo non potest, non modo in rebus spiritualibus & sacris hominibus arbitrium prorsus liberum non esse, sed & in rebus civilibus atque externis, propter varia impedimenta, atque obstacula, Affectuum scilicet perverforum vehementiam, Concupiscentiæ vim, metus gravitatem, externamque violentiam, quibus accedit Satanæ efficax operatio in hominibus incredulis, comprimi, atque impediri, ut inde Augustinus, *Cit. B. D. Quenst. Syst. Theol. Part. II. c. III. de lib. Arb. Tb. V.*, passim hoc arbitrium vocet *claudicans, egenum, vitiatum, attenuatum, hebetatum, vulneratum*; & B. Chemnitius in *LL. Theol. Loc. de arbit. c. III. p. 173. b. semper addenda*, inquit, *est restrictio, aliquam habet libertatem in rebus externis, aliquo modo prestare potest externam disciplinam &c.* quæ omnia experientia luculentissime ostendit, atque probat, Verum minime exinde

A 2

quis

quis concludere audeat, hominem plane non esse liberum, non dari libertatem voluntatis humanæ; Cum hæc saltem loquantur de obstaculis, & quidem actus voluntatis secundi, atq; imperati, quando voluntas coacte quidem agit, & usu libertatis exterius caret, quæ tamen in sese libera est, & libertate ipsa privari nunquam potest. Neque metus atqve affectus tanti esse possunt, ut dominium in voluntatē habeant, quin potius, quando voluntas succumbit, & affectibus cedit, libere id facit, dominium suum justum ac debitum alii relinquens, ut inde legitime in eum animadvertatur, qui affectibus cedit ac paret; hinc recte *Scotus, ut Excell. Rudr. instit. Moral. Part. II. c. III. de lib. Arb. Th. 1. §. 3.* inquit, *qui clamant omnia necessario fieri, tamdiu tormentis exponendi sunt, donec fateantur, se non posse cruciari.* De hoc autem libero arbitrio hominis aliquid porro dicturi sumus. Et licet ingenii imbecillitas, rei que sublimitas id nobis prope denegassent, allaborabimus tamen eò maxime, ut saniorum Philosophorū sententias hac de re tradamus & pro viribus defendamus; utpote qui de re nobili potius balbutire, quam de rugis prolixa facere velimus. Supplices igitur DEum T. O. M. rogamus, ut Spiritus sui gratia ac sapientia nobis adesse, mentem ac linguam dirigere, ut omnia in nominis sui gloriam vergant, ipse velit.

Et si

§. I.
ET si autem vox liberi arbitrii saltem Philosophica sit,
& in scriptura sacra non reperiatur Test. *Flac. in Clav.*
Scripturae part. I. sub voce lib. Arb. è Philosophia ta-
men ad Theologiam illa translata est; quod qui-
dem non nuper, sed jam dudum factum putat *B. Jac.*
Mart. Part. Theol. l. VIII. §. 6. utpote cum hac vox apud
Irenæum, Clement. Alexand. patres vetustissimos occurrat.
vid. Rudr. Philos. Theol. Exhib. XX. de lib. Arb. p. 304. ut ita
hodie & Theologus agat de libero hominis Arbitrio, li-
cet hic non tam disputet, quid sit illa libertas, quam quæ
sit ejus conditio in rebus Spiritualibus, ut rectè *Conr. Horn.*
Phil. Mor. l. II. cap. V. de lib. Arb. p. 187. Nos, quæ alieni
fori sunt, relinquimus; & liberum arbitrium saltem, quoad
Philosophicum est, consideramus. Cum autem & Phy-
sicæ tractationis sit, agere de libertate hominis, scil. natu-
rali. Libertas enim, ob quam voluntas dicitur libera, na-
turalis aliqua atque essentialis à Deo indita est voluntati
proprietas, quæ remansit post lapsum, nec sejungi poterat
à voluntate, nisi ipsam voluntatem deperditam quis velit;
quippe cum libertas materialiter sit ipsa voluntas, & non
nisi conceptibiliter ab ea differat *vid. laud. Rudrauff. In-*
stit, Moral. loc. cit. Axiom. I. p. 66. Nos & Physico sua re-
linquimus, & tantum ea de libertate arbitrii hominis af-
ferimus, quæ ad Philosophiæ moralis tractationem perti-
nere videntur.

§. II.

Ut autem res, de qua loquimur, rectius percipiatur,
ambiguitas vocabulorum evolvenda prius erit. Etenim
sumitur vox liberi varie, quod fere omnes hac de re disse-
rentes annotarunt. Et (I) *quidem idem est, quod inde-*
pendens, vel quod ab alio non dependet, vel quod nulla ra-

tionem alicui subest. Quæ significatio hujus loci non est, alias solus Deus esset liber atque *αὐτὸς ἑστὶν*, qui solus independens, solus nemini subest; & sic nec Angeli, nec homines essent liberi, qui dependentes sunt. (2) dicitur liberum, *quicquid alteri non est subiectum*, ita quis à miseria, culpa, pœna, servitute, &c. liber est. Quæ significatio etiam non est hujus loci, alias servi, captivi &c. non haberent liberum arbitrium (3) sumitur vocabulum liberi pro eo, quod non est coactum vel violentum, sive quod agit sine vi, coactione, & violentia, uti sese habet omne per naturalem inclinationem seu principium internum agens, non per principium externum, quod violentiam agenti infert; Nam violentum, inquit *Aristol. lib. 3. Eth. cap. 1. id esse videtur cujus principium extra est, cum id, cui vis affertur, nullam operam conferat.* Nec hæc acceptio hic locum habet. *vid. Horn. cit. loc.* (4) liberum est, quod opponitur necessitati naturali, sive, quod non ex naturali inclinatione ad unum est determinatum, sed libere sese habet ad utrumque oppositorum. Vel, ut habet *Horn. cit. loc. n. II. quod ad utrumque partem contradictionis indifferenter se habet i. e. quod tale est, ut posito objecto, & omnibus ceteris requisitis, iisque nihil mutatis, possit velle ut non velle, agere & non agere.* Dicitur & simpliciter libertas indifferentiæ; de qua significatione potissimum nobis agendum est.

§. III.

Quod attinet alteram vocem nempe *arbitrium*, dicitur illa à vocabulo *arbiter*, qui est Judex seu sequester, qui vel à magistratu datur, vel à contendentibus eligitur, ut ex æquo bonoque causam disceptet, ac extra ordinem & privatim lites dirimat, ut ex isto *Ter. in Heaut. act. III. scen. I. videre est Simus & Crito vicini nostri hic ambigunt de fini-*

finibus, sine, cepere arbitrum. Et sic arbitrium nihil aliud est, quam ipsa sententia quam arbiter tulit. Talis arbiter intellectus est, qui rem examinat, atque de ea iudicat utrum vera vel falsa, bona vel mala, appetenda vel fugienda, & sic arbitrium intellectum respicit, cuius actus sunt arbitrari, & iudicare, cum intellectus sit facultas animæ rationalis, qua res cognoscibilis cognoscitur, & iudicatur. Et sic arbitrium proprie ad intellectum non ad voluntatem refertur. Quam tamen significationem sæpissime amittit, & nonnunquam ponitur pro ipsa voluntate, nonnunquam pro actu ipsius voluntatis, & ipsam electionem notat, ut potissimum hic loci, quod omnino suadet appositum vocabulum liberi, quod ad solam voluntatem pertinere videtur.

§. IV.

Quibus præmissis, jam videndum est, an detur talis libertas in voluntate hominis, quæ se ad utrumque oppositorum indifferenter habeat. Rite autem prius discernendæ erunt actiones hominis, antequam aliquid certi statui poterit. Duplex apud Theologos ponitur objectorum hæmisphærium, circa quæ libertas occupata est: unum inferius, alterum superius, ad hoc pertinent actiones mere spirituales, quia pro objecto habet spiritualia, v. g. credere in DEum, intelligere quæ sunt Spiritus DEI; vivere secundum Spiritum &c. quæ actiones non ad nos, sed ad forum Theologicum pertinent. Ad illud vero saltem naturales, quas homo natura & propriis viribus producere potest. Et hæ hujus loci sunt; Quæ tamen non unius, sed quadruplicis generis sunt: aliæ *naturales* strictè sic dictæ, quas homo cum aliis rebus naturalibus communes habet, cum planta scilicet & brutis, v. g. argumentatio, generatio, nutritio, &c: aliæ *vitales*, quas homo cum brutis

tis

tis communes habet, v.g. respiratio, pulsus cordis, & arteriarum &c. alia *animales* quas homo ut animal exercet per facultates animæ sensitivas v. g. videre, audire, loco movere, vigilare, edere, bibere, &c. Alia denique *rationales*, scil. per essentiam; quæ iterum duplicis generis sunt; alia *intellectuales*, ab ipso intellectu, tanquam principio per essentiam rationali, orta, v. g. intelligere, cognoscere, judicare. Alia *voluntatis*, quæ per se morales sunt, profectæ ab ipsa voluntate, tanquam principio effectivo, ut sunt; velle, nolle, &c. Quibus addendæ sunt actiones *indifferentes*, quæ in se moraliter nec bonæ nec malæ sunt, tales tamen ex accidente fiunt, bonæ si cum honestate conjunctæ, malæ si ab honestate & lege recedant.

§. V.

Quod attinet ad actiones modo recensitas, videndum jam erit, an hominis arbitrium liberum sese habeat ad omnes & singulas. De illis, quæ ad hæmisphærium superius spectant, in quibus procul dubio nulla datur libertas arbitrii, de quo *Aug. Conf. Artic. XLIX. sed non habet vim (humana voluntas) sine Spiritu Sancto efficienda justitia Dei, seu justitia spiritualis*, cum supra ad Theologos jam remiserimus, nihil amplius de illis dicendum nobis est. De his, quæ ad nostrum hæmisphærium spectant jam solliciti sumus, quæ cum varii generis sint, uti superius indicavimus, variè quoque cum istis procedamus, necesse est; Nam si respiciamus naturales illas, §. sup. indicatas, itemque vitales actiones, in illis homo minime habet liberum arbitrium, sumta libertate in sensu morali, scil. pro libertate indifferentiæ. Utpote cum in nullius potestate sit positum, respirare, quando & quamdiu velit; generare, quandocunque vult, cum multi generent nolentes, & generare volentes, non generent; nutrimur, augemur; ve-
rum

rum & hoc necessario, & ex principio interno naturaliter & necessario agente, ita ut quis in majorem crescat statum, alius minor maneat, non est res ipsius arbitrii; porro poteritne voluntatis imperium *latrantem stomachum* coercere? *certe venter præcepta non audit, poscit, appellat, ut loquitur Senec. Ep. XXI. ad Lucil.* Idem dicimus de actionibus hominis animalibus in se spectatis; tamdiu enim hæ sunt, & manent naturales quamdiu voluntas in illis libera non conspicitur. A quibus tamen excipimus actiones *appetitus sensitivi, & potentia locomotivæ*, in quibus suo modo arbitrium liberum conspicitur. Appetitui enim imperat voluntas, ut non sibi, sed rationi serviat. Potentiam locomotivam jubet, ut quocumque vult, corpus moveat. Quæ actiones, quanquam naturales, atque ideo necessariae sint, morales tamen fiunt, quando ad nutum & imperium voluntatis fiunt, cui hæc semper paret, ille nonnunquam repugnat atque resistit. Unde contingit, ut hoc vel illud appetamus vel fugiamus, huc vel illuc abeamus, vel non abeamus, prout voluntas id nobis imperat.

§. VI.

Quod attinet ad actiones *rationales*, cum & hæ duplicis sint generis, duabus vicibus quoque de istis sententiam ferimus. De prioribus quidem, scilicet actionibus intellectus, quæ sunt intelligere & judicare, dicimus, voluntatem se liberè habere in imperandis istis, ut si velit, & quando velit, intellectus rem cognoscat, ac judicet; Est enim voluntas primum movens, quoad ipsum etiam intellectum ratione exercitii actus. Et licet aliquando actus intellectus præcedat actum vel motum voluntatis, quippe cum voluntas non velit, nisi objectum habeat cognitum, ad minimum confusè, si accuratè fieri non potuit; (planè quippe *ignoti nulla cupido*) non tamen tam præcedunt voluntatis actum, mo-

B

vendi

vendi intellectum, ad hanc vel istam rem accuratè intelligendam, quam ipsum actum volendi. Relinquitur igitur, voluntatem in ordine ad intellectum primum movens esse, & hac ratione præcedere actus voluntatis actus intellectus, quem illa movet, inclinatur, dirigit, ut deliberet & judicet; & quidem maximè in re dubia ac difficili, non tam ad simplicem ac rudiorum, quæ præcedere potest, quam ad profundiorum & solidiorum objecti cognitionem. Hac ratione, primus motus à voluntate est; igitur & rectè primum movens dicitur, & libera est etiam in actibus intellectus.

§. VII.

Igitur videmus, voluntatem in actibus intellectus liberam esse, qui tamen ipse liber non est, sed libertatem soli voluntati relinquit. Sunt, qui libertatem ad utramque facultatem, & ad intellectum, & ad voluntatem referant, quorum meminit *Horn. cit. loc. n. VI. pag. m. 195. citatq; Durandum 2. Sent. dist. 24. quest. 7. Quem secutus est Franciscus Piccolomineus in Ethicis gr. 2 c. 43. unde § cap. 40. ita libertatem definiat: esse facultatem hominis, qua de oppositis ad ejus actiones pertinentibus ratiocinari, oppositæq; præeligere valeat. Verum quod sola voluntas, non etiam intellectus liber sit, probamus, quia intellectus nec liber est, quoad actus exercitium, nec quoad actus specificationem; duplex enim datur libertas vel exercitii, quæ & contradictionis dicitur, vel specificationis, quæ libertas contrarietatis est, illa intercedit inter contradictoria, & est inter actum ipsum, & actus negationem, v. g. agere & non agere, ambulare & non ambulare &c: hæc datur inter contraria, cum indifferenter sese habeat voluntas ad actus contrarios, agendo hoc vel illud, ut legere & scribere, ambulare & sedere, diligere & odisse &c: quæ libertas illam includit, ut qui liber sit libertate contrarietatis, etiam liber sit libertate contradictionis; qui non*

non liber est libertate contrarietatis etiam non liber sit libertate contradictionis. Non verò vice versa, quod & illa hanc includat; etenim non is statim etiam liber est libertate contrarietatis, qui liber est libertate contradictionis. Jam diximus intellectum non esse liberum quoad libertatem contradictionis seu exercitii; utpote cum non libera sit simplex ejus apprehensio; nam hic sese intellectus habet tanquam sensitiva potentia, quæ necessario, positus scilicet omnibus requisitis, fertur in objectum, & non potest non illud objectum apprehendere; nec libera est ejus compositio & divisio, quando enim objectum conveniens, atque in illo identitatem quandam conspicit, non potest non affirmare; si verò objectum disconveniens est, & diversitatem aliquam habet, necessario negat; nec denique liber est intellectus in discursu; ex veris enim præmissis necessario fertur in conclusionem illi assentiendo. Jam si nullus actus intellectus liber est, quoad libertatem contradictionis vel exercitii, sequitur quod nec liber sit intellectus quoad specificationem seu libertatem contrarietatis. *Vid Ruder. Instit. Mor. l. c. Tb. s. p. 59. & quest. 2. pag. 60.*

§. VIII.

Ex quibus liquet, intellectum proprie loquendo non posse vocari radicem libertatis, quia nec radicaliter liber est, sed saltem se habet ut necessaria conditio; utpote cum radix non modo conditionem quandam, sed veram causam notet, quæ influit & in essentiam arboris, & fructuum, quæ ratione, cū intellectus est radix libertatis, causa sit libertatis, necesse est, quod superiori §. negavimus, exinde, quia intellectus ipse non est liber, & sic, quod quis non habet, alteri communicare non potest. Nec obstat, quod intellectus dicatur movere voluntatē. Distingvendum enim est inter movere, quoad notat demonstrare objectum, & movere per illius vel

bonitatem, ut voluntas appetat, vel ejus malitiam, ut aver-
setur; & inter movere quoad idem est, ac præcipere & phy-
sicè movere, scilicet efficienter concurrendo ad actiones vo-
luntatis, eas producendo.

§. IX.

Jam ultimo loco de actionibus voluntatis, tam elicitis,
quàm imperatis agendum erit: in quibus dicimus, maxime
conspici liberum hominis arbitrium. De quibus *Aug. Conf.*
art. cit. humana voluntas habet aliquam libertatem ad effi-
ciendam justitiam civilem, & deligendas res rationi subje-
ctas. Id quod probat, *actionum harum moralitas, scilicet*
moralis bonitas, vel malitia; cum enim homo rectè, & se-
cundum leges agit, actio bona est, atque ideò bona dicitur,
quia & mala fieri potuit; quando verò à lege recedit, mala
dicitur, ideò, quòd bona fieri potuerit; hinc rectè *Epicetus*
Enchir. cap. 1. & 2. liberum arbitrium vocat omnium actionum
moralium fundamentum. Quid enim opus esset delibera-
tione, ratiocinatione, consultatione &c. nisi in nostro arbi-
trio sit positum, agere hoc, vel illud, benè, vel malè. Cade-
ret certè omnis rationis, atque omnis deliberatio, imò tota
moralitas everteretur, sic non detur liberum arbitrium.
Deinde quoque vana & inutilis esset *legum constitutio.* Cui
usui enim leges, si vel secundum istas non liceat vivere, vel
si contra legem non possit peccari. Quis sanus legem dare
velit, de non committendo adulterio, furto &c. Si nemo
secundum illam legem peccare possit? Et quid multis rem
probare volumus? vel ipsa experientia nos cogit fateri, quòd
in actionibus moralibus, positis omnibus ad agendum re-
quisitis indifferenter nos habeamus ad utramque partem,
contradictionis, ut pro solo nostro beneplacito, per intrin-
secam, qua præditi sumus, vim actionem talem exercere,
eandemque omittere possimus. Sic Scipio, solo voluntatis
bene-

beneplacito, à femina è captivis oblata, abstinuit. Bene,
Simplicius in Epict. cap. 5, quis est, inquit, qui se non senti-
at modo velle, modo nolle, eligere, & deliberare, assenti-
re, dissentire &c. Plures jam rationes pro adstruendo li-
bero hominis arbitrio adducere non lubet, qui vult vide-
at passim & Theologos & Philosophos hac de re; Impri-
mis *Piccolomineum cit. loc. gr. 2. cap. 32. 39. seq.* itemque
Horn. l. c. n. III. p. m. 190. 191. seqq.

§. X.

Quamquam autem omnes sanioris Philosophiæ Do-
ctores libertatem hominis concedant atque mascule de-
fendant, multi tamen & fuere, & hodie sunt, qui Stoicam,
ac fatalem quandam necessitatem, in actionibus homi-
num statuentes omnem libertatem arbitrii hominis ne-
garunt & in bene, & in male factis, vid. *B. D. Qvenst. cit.
loc. Sect. II. p. 190. seqq. M. Imman. Lebmanni Diss. de lib.
volunt. Num. §. 2. 3. seqq.* qui omnes vere hostes hujus li-
bertatis ordine recenset. Huc omnes pertinent, ut *Cl.
Lebm. cit. loc.*, qui simplicem & absolutam voluntatis à præ-
scientiâ divinâ dependentiam, necessitatem Dei influxum,
insolubilem fati Physiæ catenam, Astrologorum infallibiles
aspectus, & inevitabiles siderum influentias, ἐπιφύτων virtu-
tis habitum, necessariam morum è temperamento resultan-
tiam &c. propugnarunt. Qui omnes, si non aperte, &
directe, indirecte tamen & consequenter libero hominis
arbitrio vim attulerunt, quos passim refutatos videmus.
Sunt ex Pontificiis, quos recenset *Excell. Rudr. Phil. Theol.
l. c. §. 13. p. 310.* imprimis vero *Bellarminus*, qui ipsum *B.
Lutherum* hujus erroris, *Lutheranosq;* Manichæismi accu-
sarunt, quæ tamen manifesta est calumnia, cum à Nostra-
tibus libertas arbitrii acerrime propugnetur, quod ex
Symbolicis nostris libris *Aug. Conf. ejusdemque Apol.*
facis liquet.

§. XI.

Hæc jam sufficient de Existencia liberi arbitrii hominis, quæ tamen latius se diffuderunt, quam paturam. Pauca tamen, quod scil. per pagellarum angustiam licebit, addimus de ipsa quidditate, & essentia hujus liberi arbitrii. *Est autem liberum hominis arbitrium, ut vulgò definitur, potentia anima rationalis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere, velle & nolle,*

§. XII.

Et si autem id certissimum sit, quod liberum hoc arbitrium nihil aliud sit, quam potentia quædam sive facultas, cum homo non nisi per facultates vel potentias operetur, multum tamen disceptatur inter philosophos utrum actus vel potentia sit. Sunt qui velint liberum arbitrium actum esse ab anima profluentem; Sed cum hic facile & cito transeat, libertas vero semper sit in voluntate, etiam in dormientium, quibus actus tamen denegatur, potius ejus principium est, quod permanens est. Et sic certum est quod sit potentia, an vero sit potentia activa vel passiva, iterum disceptatur. Passiva potentia procul dubio non esse potest, cum hæc libera non sit, sed dependeat à voluntate agentis; non enim patiens potest recipere passionem, nisi agens operetur, nec non recipere, si agens operari velit. Ergo potentia quædam activa sit necesse est, quia se ipsam determinare potest ad alterutram partem oppositorum. Alii habitum, alii affectum, alii potentiam universalem, alii potentiam voluntati superadditam esse putarunt, quod tamen neutrum est; nec enim potest esse habitus, qui ut plurimum & ordinarie acquiritur, liberum autem arbitrium est à naturâ; habitus est facilitas agendi, cum ad unum vel solum bonum, vel solum malum inclinât, libertas arbitrii vero prærequirit intellectus operatio

rationem, deliberationem, consultationem, ratiocinationem &c: ut possit deinde agere & non agere, agere hoc vel illud. Nec libertas affectus est, cum isti non in liberis modo, sed & in invitis dentur, & contra voluntatem sæpissime obrepant. Non potentia universalis complectens sub se intellectum & voluntatem, atque reliquas potentias ut species; quia in reliquis potentiis præter voluntatem non datur libertas indifferentiæ. Non est potentia voluntati superaddita, quia libertas à voluntate realiter non distinguitur, sed materialiter sunt idem. Et sicut intellectus ad intelligendum verum vel falsum sufficit, ita voluntas, ad libere amplectendum vel averſandum sufficit.

§. XIII.

Est autem potentia *animæ rationalis*, quo excluditur omnes materialitas ut animæ vegetativæ & sensitivæ, quæ operantur sine ratione & necessario, quo enim quid magis est immateriale, eò magis liberum est & quo magis materiæ immerſum, eo magis est, determinatum ad unum. Unde *Piccolomineus loc. cit. gr. 2. cap. 43. dicit sejunctionem à materie & corpore esse fundamentum, radicem, & originem libertatis.* De potentia igitur animæ vegetativæ res extra omnem controversiam est. Quod vero attinet ad potentiam sentientem, quatenus sentiens est, & quoad sensus externos, dicimus de illis, quod plane ei non insit libertas, quia sensus externi agunt necessitate Physica, & posito objecto, ac requisitis, non possunt non exercere functiones suas, nec aliter rem percipere, uti est. Non ita res sese habet cum sensu interiori, phantasiâ scil. sive virtute imaginatrice, item appetitu sensitivo, ut & potentia locomotiva, de quibus & supra jam dictum est, quod vere etiam libera sint; nam voluntati parent atque obediunt. Verum hanc libertatem non ex se habent, non
forma.

formaliter & per essentiam, sed saltem per participatio-
nem, & materialiter, quatenus potentia per se libera im-
perio subsunt, libere se habent.

§. XIV.

Relinquitur itaque quod sit potentia quaedam imma-
terialis, qua soli animae intelligenti vel rationali competere
potest, dantur autem in anima hominis duae potentiae im-
materiales, intellectus & voluntas. Jam vero libertas, de
qua loquimur, an in utraque simul facultate, scil. intelle-
ctu & voluntate, an in altera tantum, & utra earum sit su-
pra diximus §. 6. & 7.

§. XV.

Ipsa autem formalis ratio consistit in indifferentia,
ad utrumque oppositorum, qua scil. voluntas potens est,
positis omnibus ad agendum requisitis, agere & non age-
re, agere hoc & illud, hoc & isto modo, i. e. in ejus pote-
state est, vel indifferens & contraria ferri objecta, inad-
aevata puta, & particularia, nempe vel hoc vel illud bonum,
hoc vel illud malum; nam si objectum est adaequatum &
universale, atque in communi positum, non indifferenter
fese voluntas habet v. g. bonum ut sic quod est voluntatis
objectum, ut non possit ferri ad malum quia malum, vel
sub ratione mali. Vel circa idem numero objectum potest
per se contrarios actus elicere v. g. potest hoc vel istud obje-
ctum appetere, potest etiam fugere, cum actus in voluntate
duo dentur, & appetitivus, & averfativus. Ex quibus liquet,
quod voluntas non in omnibus actibus contrarietatis libera
sit, quia ita vult, ut possit etiam actum volitionis suspendere,
& non velle. Haec breviter jam dicta sint de libero ho-
minis arbitrio. Faxit Deus T. O. M. ut in nominis
ejus gloriam vergant.

SOLI CUI GLORIA.

Ff III

ULB Halle
003 266 753

3




A

VD77

Retro







29²⁹

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM MORALEM
De
**LIBERO AR-
BITRIO HO-
MINIS,**

AUSPICE DEO

Et

Consensu

Amplissimi Ordinis Philosophici
In Illustri ad Albim Academia
placidæ Philosophantium συζητησῶν sistit

P R Æ S E S

M. JOHANNES Bettembeil/
Palæo-Got. Thur. *av.*

R E S P O N D E N T E

CHRISTIANO MARTINO Gorgenfrey/
Seebac. Thur.

Ad diem 20. Jul. In Audit. Min.
horis antemerid.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

1758

av 28

